ZU DER ÖFFENTLICHEN PRÜFUNG SÄMMTLICHER KLASSEN DES *DOMGYMNASIUMS ZU NAUMBURG*

VOM 18. BIS ZUM 21. MÄRZ 1850.

LADET ERGEBENST EIN

DR. FÖRTSCH,
GYMN. DIRECT.

INHALT:

1) De notione substantivi apud priscos scriptores latinos usque ad Terentium. Abhandlung vom Gymnasiallehrer Dr. Holtze.

2) Schulnachrichten vom Director.

NAUMBURG A/S.,
GEDRUCKT BEI E. LITTFAS.
1850.

De notione substantivi apud priscos scriptores Latinos usque ad Terentium.

Duplex est ratio atque via etiamnum, qua syntaxis cuiuscunque linguae tractari potest, aut ita, ut initium fiat ab ipsa enunciatione explicanda, cuius deinde partes (subiectum, praedicatum simplex cum iis, quae ad simplicem enunciationem accuratius exprimendam adduntur, vocabulis,) singillatim tractentur, tum sequatur singulorum generum enunciationum explicatio, quam rationem in syntaxi linguae germanicae primus secutus est Beckerus, quem in latina syntaxi adumbranda secutus est prae ceteris Weissenbornius, aut ut primum singulae partes orationis, quae in enunciatione plena inveniri solent, secundum tres classes generales, ***nomen***, ***verbum***, ***particulas***, secundum rationem, qua in enunciationibus inter se coniunguntur, tractentur et tum demum per se spectetur enunciationum aut simplicium aut inter se coniunctarum doctrina. Hac fere ratione versatus est in linguae graecae syntaxi describenda Bernhardy, in latina syntaxi Billrothius, Ellendtius, Kruegerus. Illam, utpote quae enunciationem in singulas suas partes dissolvat, quae deinde singillatim tractentur, ***analyticam***, hanc ***syntheticam*** possis dicere. Illa enim antiquiorum grammaticorum ratio, qua singula syntaxis capita, utcunque sese offerebant, sine ullo certo ordine ad arbitrium tractabantur, iam pridem explosa est nec unquam reviviscet, quoniam in ea non patet, quomodo singula capita inter se cohaereant. Analytica autem ratio non tantum habet perspicuitatis quantum altera illa synthetica, quoniam singula syntaxis capita nimis dispersa ratione variis locis tractantur, quod optime perspici potest in syntaxi latinae

linguae ceterum praeclara Weissenborniana. Accedit quod in illa ratione enunciatio tanquam iam perfecta nobis datur, ita ut nesciamus, unde nata sit, in synthetica autem enunciationem deinceps oriri et quasi ut aedificium ex singulis partibus sese extollere videmus. Jam vero ex duabus partibus constat unaquaeque enunciatio, ex subiecto et praedicato. Subiectum semper esse necesse est aut nomen aut pronomen, praedicati potissima pars est verbum, eaque est simplex enunciatio, in qua solum nomen vel pronomen et verbum sunt, nullo praeterea addito alio vocabulo, quo enunciatio accuratius definiatur, sed possunt etiam alia, ut adiectivum, adverbium, cett. ad praedicatum accedere, quo illud accuratius constituatur. Adiectivum potest etiam ad subiectum accedere, sicut pronomen etiam ad praedicatum. Atque vel hanc ob causam synthetica ratio syntaxin tractandi analyticae est praeferenda, quoniam in illa nescitur, quo loco adiectiva et pronomina aptissime tractanda sint, quo fit, ut utrobique sint commemoranda nec qui sit totus eorum usus, clare perspici possit, quoniam duobus locis omnia quae ad illum pertinent, conquirenda sunt. Nostra autem ratione utraque deinceps tractantur post substantivum. Quod si antea dixi de particulis ultimo loco agendum esse, tamen non spectat hoc ad praepositiones, quae cum sint supplementum casuum substantivorum, statim cum casuum doctrina coniungendae erunt. De casuum autem doctrina si agitur, non solum substantivorum casus, sed casus in universum tractandos esse, ultro patet.

Jam quum mihi sit propositum scribere de syntaxi antiquiorum scriptorum Romanorum ab initiis linguae usque ad P. Terentium Afrum, hac scribendi opportunitate oblata trium capitum syntaxis substantivorum, quae sunt de notione substantivi, de eius numero atque de casibus, speciminis loco tractabo primum.

De notione substantivi.

In syntaxi de substantivi notione tantum ea tractanda sunt, quae ad usum singularem generum quorundam substantivorum, qui iterum atque saepius reperitur, spectant, non vero significationes singulares singulorum substantivorum, quas enumerare lexicologiae est, non syntaxis, quamquam non potest negari, in hac ipsa parte grammaticae fines atque limites utriusque doctrinae non posse tam accurate constitui et quasi circumscribi, ut non interdum haud pauca in syntaxi commemoranda sint, quae proprie ad lexicon pertinent. Si vero immensam substantivorum, quotquot sunt, copiam perlustramus, facile poterimus duo praecipue genera eorum discernere, quorum unum substantiva magis specialis atque singularis, alterum magis generalis significationis complectitur. Jam usus maxime memorabilis et prae ceteris dignus, qui in adumbratione huius partis syntaxis latinae commemoretur, qui etiam latissime patet, hic est, ut pro notionibus singularibus generalis magis significationis substantiva, quorum ambitus latius patet, haud raro usurpentur. At noli putare, me his duobus substantivorum generibus, dico magis generalis et magis singularis significationis, plane eadem velle exprimere, quae in philosophorum sermone *abstracta* et *concreta* dicuntur; nam figura illa notissima, qua abstractum pro concreto ponitur, pertinet quidem huc etiam, quia, si abstractum ponitur pro concreto, item pro magis singularis

significationis substantivo aliud generalis magis ponitur, quo illud quasi continetur et in quo inest, ut si hominem appello *scelus*, notio sceleris latius patet quam hominis, nam sub notionem omnis sceleris, quod in mundo est, cadit etiam homo ille, — sed hoc volo, non opus esse semper abstractum esse substantivum illud latius patentis significationis, quod pro altero ponitur, sed item concretum esse posse, sed tamen magis generalis significationis quam id pro quo ponitur. Huc refero usum duplicem, primum si pro homine ponitur res concreta, deinde ubi homo appellatur nomine bestiae. Nam si homo ineptus appellatur *frutex* (Plaut. Most. I, 1, 12) aut amica ab amatore suo *columba* vocatur (Asin. III, 3, 103,) fingitur quasi alia notio latius patens fruticis et columbae quam eorum fruticum et columbarum quae in natura vere sunt, sub quam etiam homo cadit, notio talis, quae complectitur tantum ea attributa, quibus hominem illum praeditum esse volumus. Sed cum infra locos singulos scriptorum veterum ad hunc totum usum pertinentes recensebo, non amplius distinguam inter tria illa genera huius usus, sed omnes locos inter se mixtos enumerabo. Sed etiam contrarium huius fieri potest, ut pro substantivis magis generalis singularis magis significationis ponantur, quo pertinet etiam illud, ubi pars alicuius rei pro tota re ponitur.

Haec hactenus, si unum substantivum est in enunciatione, quo res aut homo significatur deque notionum utriusque, eius quod positum est et eius, quod eo significatur, quatenus una vel altera earum latius pateat, inter se comparatione dicta erunt. Quo referendum est etiam, si ambo substantiva sunt in enunciatione ita, ut alterum sit subiectum, alterum praedicatum. Sequitur illud, ubi substantivum cum alio vocabulo ad unam notionem efficiendam coniungitur, quo pertinet primum, si aliud substantivum eodem casu est appositum, quae est appositio vulgo dicta, deinde si genitivo, quam possis *περίφρασιν,* latino vocabulo circumlocutionem dicere, denique si aut simplex negatio additur, aut sola praepositio, aut subst. cum praepositione, aut adverbium, aut subst. alio quovis casu, quo pertinet inprimis usus singularis substantivorum in *io* exeuntium.

Incipiamus igitur totam quaestionem nostram ab illo usu, quo pro magis singularis notionis substantivo generalis magis significationis ponitur. Sed hic quoque usus iterum in duplicem potest dividi, nam aut substantivis illis, quae ponuntur, unus semper homo vel una res significatur, aut plures, ut significationem habeant collectivam. Ad illum, quem primum spectabimus, primum pertinet locus Catonis de re rust. c. 4: *Si quid* (*bona salute*) *usus venerit*, *benigne defendat*, deinde Ennii apud Fulgent. (Gruter. ad Plaut. Cas. III, 5, 15): *Haec anus se sauciavit flore Liberi*, ut loquitur etiam Plaut. Cist. I, 2, 8, tum permulti loci Plautini, quos vel ipse mea lectione collegi vel Parei lexicon Plautinum mihi ministravit. Ceterum idem usus est apud Graecos, de quibus vide quae Bernhardy collegit in synt. graec. p. 46. sq. Plurima autem substantiva, quae huc pertinent, aut in vituperationem aut in laudem dicuntur. Merc. I, 1, 59: *Convicium tot me annos iam se pascere*, de homine. Most. I, 1, 3: *Egredere*, *erilis pernicies*, *ex aedibus*, cui respondet, quod Bernh. l. l. p. 47. ex Graecis affert, *ὄλεθρος*. Pseud. I, 3, 130. haec sunt maledicta in lenonem: *pernicies adulescentum.* — *fraus populi.* — *coenum.* Bacch. V, 1, 9: *Is me scelus auro usque attondit.* Amph. II, 1, 7: *tibi* —

Scelestam, scelus, linguam abscidam. Mil. III, 2, 14: *Non te istuc rogito, scelus.* ib. v. 27. Pseud. V, 2, 10. Pers. IV, 4, 114. II, 2, 35. 4, 10. IV, 9, 6. Rud. IV, 3, 54. Bacch. V. 2, 71. Ritschl. (57. vulg.). — Asin. V. 2, 77: *Modo quom dicta in me ingerebas, odium, non uxor eram.* Truc. II, 1, 1: *Ha ha he requievi, quia introivit odium: tandem sola sum.*[1]) Truc. II, 2, 65: *Nunc ad eram revidebo. sed eccum odium progreditur meum.* Mil. III, 3, 49: *Populi odium quidni noverim, magnidicum, cincinnatum —?* Bacch. IV, 7, 22: *Terrai odium ambulat,* et v. 24: *Tun terrae me odium esse autumas?* Rud. II, 2, 13: *Deorum odium atque hominum malum, mali viti probrique plenum.* Curc. I, 3, 34. sq.:

Jam huic voluptati (Phaedromo) *hoc adiunctumst*[2]) *odium* (Palinurus.)
PA. *Quid ais, propudium?*
Tun' etiam cum noctuinis oculis odium me vocas —?

Asin. II, 2, 32: *o virgarum lascivia!* quod Lamb. recte explicat: in cuius tergo lascivire et exsultare solent virgae. Ex exemplis usque adhuc allatis patet etiam, nonnunquam activa substantiva illa, nonnunquam passiva significatione usurpari. Sic *scelus* activa, in quo inest scelus, qui committit quasi scelera; *odium* autem passiva, qui odio est, quem oderunt homines. Sic etiam *virgarum lascivia*, qui patitur lasciviam virgarum. Item passiva significatione *odium* est Asin. V, 2, 71. pro odiosis dictis et factis: *Pol me quidem Miseram odio enicavit*, et II, 4, 40. pro *odiosa importunitate.* Activam autem significationem habet *odium* Poen. I, 2, 139, = qui odit alterum. — Truc. IV, 2, 46. *inlecebra* de meretrice. Fragm. p. 485, v. 19. Gron.: *Non ego te novi, navalis scriba, columbar impudens?* Aul. III, 5, 48: *Aut aliqua mala crux semper est, quae aliquid petat* = qui cruciat. (v. Taubm. ad Men. prol. v. 66.). Alia significatione est *crux* Pers. V, 2, 17, id. q. *cruce dignus: Quid ais, crux, stimulorum tritor?* ubi Pareus in lexico male coniungebat *stimulorum* cum *crux.* Non huc pertinet locus Bacch. IV, 2, 2: *quae te mala crux agitat —?* ubi *crux* idem ac *Furia* significat, ut Pareus expl. — Pers. III, 3, 2. sq.:

— Eho lutum lenonium,
Commictum coenum, sterculinum[3]) *publicum.*

v. 4. idem leno dicitur *labes popli*, v. 10. iterum *lutum.* Respondet leno Toxilo v. 13. sqq.: — *stabulum servitricium, — subiculum flagri, — pistrinorum civitas.* Truc. II, 6, 20. in versu corruptissimo est sec. emendationem Bothii et Kampmanni de *AB.* p. 24.: *Quid ad hoc egeo te, malum, admonitrice?* Most. I, 1, 39: *germana illuvies* de homine. Most. V, 2, 45. *lutum*, item Mil. II, 3, 54. Cas. III, 4, 2: *Qui me atque uxorem ludi-*

[1]) Sic Goellerus, quem vide, nisi quod scripsit *introit.* Vulg. *Ha ha ha! hercle quievi, quia introivit odium. tandem sola sum.* Sed iam Palmerius offendit in v. *hercle* (pro quo Pall. *ercle*), quod mulieres nunquam per Herculem iurant et correxit *eccere.* Versus noster est tetrameter iambicus, in quo tantum hoc offendit, quod *quia* est μονοσύλλαβον, quod fieri posse negat Herm. in censura dissertationis Kampmanni de *AB* praep. usu Plaut., quae est in Jahnii nov. annal. phil. XII, vol. 35, 2 sed dum melior huius versus emendatio proferatur, in hac acquiesco.

[2]) Vulg. *adiunctum est.* In *Δp est* omittitur. *adiunctumst* scribendum fuit secundum ea quae disputat Ritschelius in prolegom. ad Trin. p. 107 — 111.

[3]) Pall. *stercilinum*, vulg. *sterquilinium.*

ficatust larüa.[4]) Cum Camerario *larüa* positum existimo pro homine larvato et insano. Menaechm. I, 2, 24: *hoc ad damnum deferetur*, quod est, ut Lamb. expl., pro scorto damnoso. Bacch. IV, 9, 131: *Scivi ego iamdudum fore me exitium Pergamo.* Truc. II, 7, 50: *Meon' ero, improbe, tu maledicere audes, fons viti et periuri?* Most. I, 1, 12. *frutex* de homine insulso. Eodem modo *fungus* Bacch. II, 3, 89. et V, 1, 2. — Aul. III, 1, 5: *Totus doleo atque oppido perii: ita me iste habuit senex gymnasium*[5]) (h. e. in quo fustem exerceret, ut expl. Weisius). Curc. I, 1, 78. de meretrice ebriosa: *Quasi tu lagoenam*[6]) *dicas, ubi vinum solet Chium esse.* Cas. II, 1, 12. sq.: *faciam ut, proinde ut dignus est, vitam Colat, Acheruntis pabulum, — stabulum nequitiae.* Truc. II, 7, 31: *Tun' ais me impudentem esse, ipsa quae sis stabulum flagiti?* Rud. III, 4, 28: *etiam vim opprobras, flagiti flagrantia?* Poen. V, 5, 30: *ligula*[7]), *i in malam crucem*, quae est significatio viri pusilli et contemnendi. Pers. IV, 3, 64: *nunquam ego te tam esse matulam credidi.* Cist. IV, 2, 61: *Mala merx*[8]), *era, haec et callidast.* Pers. II, 2, 56: *Merx*[9]) *tu mala's.* Pseud. IV, 1, 44: *mala merx est.* Cas. III, 6, 22: *Novi ego illas malas merces* (mulieres). Truc. II, 4, 55: *o merces*[10]) *malae!* (de meretrice). Bacch. V, 2, 38. Ritschl.: *Quam odiosumst mortem amplexari* (h. e. senem decrepitum). ib. IV, 8, 4. Cleomachus dicit: *Non me arbitratur militem, sed mulierem.* Merc. II, 3, 26: *Muscast meus pater, nil potest clam illum haberi*, de homine curioso, qui omnia exquirit. Poen. I, 2, 60. et Bacch. IV, 1, 7. est *propudium* pro homine scelesto. Pseud. I, 2, 70: *quin conveniunt, quin una omnes peste hac populum hunc liberant?* Bacch. I, 1, 52: *mea rosa.* Aul. I, 1, 6. *stimulorum seges* ab Euclione appellatur Staphyla anus. Rud. II, 2, 21. *sceleris semen.* Asin. V. 2, 42: *Perii, misera, ut osculatur carnufex, capuli decus*, de sene. Pseud. I, 4, 19: *Ex hoc sepulchro vetere viginti minas Effodiam ego hodie*, item de sene. Curc. V, 2, 76: *Sed eccom lenonem, incedit, thensaurum*[11]) *meum.* Merc. III, 3, 6. et Cas. III, 2, 5. *vervex* de sene ad Venerem inepto. Most. III, 1, 119: *Absolve hunc, quaeso, vomitum, ne hic nos enicet*, de homine impuro. Bacch. V, 2, 58. Ritschl.: *Probri perlecebrae et persuastrices*, de meretricibus, item Asin. I. 2, 7:

---

[4]) Sic scribendum cum Bothio. Codex vetus, Pall. quinque, Gruterus *ludificatus est*, quod est contra metrum.

[5]) vid. de hoc versu Herm. elem. d. m. p. 91. Fleckeisen. exercitatt. Plaut. p. 19. Schneider. gramm. lat. elem. II, p. 732.

[6]) Sic V. C. Ceteri *lagenam.*

[7]) V. C. *legula*, quod dubito num propter significationem ferri possit.

[8]) Sic Pall. 1 et 2. 3 et 6. *mala mens*, ut etiam emendatum est a manu recentiore in V. C., cum antea videretur fuisse *mala mers.*

[9]) Codd. *mers.*

[10]) Sic vulg. — V. C. et ed. princ. et Ald. *mercis*, quod retinuissem, quoniam de una tantum meretrice ille loquitur, si modo alio loco apud Plautum praeter hunc interiectio o cum genitivo coniuncta reperiretur.

[11]) *Eccom* V. C. sec. Pareum., item *thensaurum*, quam formam restitui cum Ritschelio prolegom. ad Trinumm. p. 103.

capitis te perdam ego et filiam,
Perlecebrae, pernicies, adulescentum exitium.[12])

Bacch. V, 2, 71. Ritschl. *Sine, mea pietas, te exorem*, quod est blandientis. Simile est quod Bernhardy affert e Graecis synt. p. 46: ὦ φιλότης. Most. I, 1, 5: *Exi, inquam, nidor, e culina*, de homine, qui multum in culina versatur. Truc. IV, 4, 7. sq.: *quid agitur, voluptas mea?* DI. *Non voluptas.* ib. V, v. 7. *mea voluptas.* Mil. IV, 8, 35. Poen. I, 2, 152. sqq.:

Mea voluptas, mea delicia[13]), *mea vita, mea amoenitas,*
Meus ocellus, meum labellum, mea salus, meum savium,
Meum mel, meum cor, mea colostra, meus molliculus caseus.

Ib. v. 167: *mea voluptas.* Ib. v. 169. sq.:

hem voluptatem tibi,
Hem mel, hem cor, hem colostram[14]), *hem salutem, hem savium!*

v. 172: *Et iam ocellum addam et labellum et linguam.* v. 174. sqq.:

— huius voluptas, —
Huius mel, huius cor, huius labellum, huius lingua, huius savium,
Huius colostra, huius salus amoena, huius festivitas,
Huius cura, huius studium[15]), *huius dulciculus caseus, mastigia.*
v. 180. 182: *— voluptas huius atque odium meum:*
Oculus huius, lippitudo mea: mel huius, fel meum.

Truc. II, 6, 40. 55. *mea voluptas.* Truc. II, 4, 2. Alios locos vide ap. Pareum in lexico Plaut. v. *voluptas.* Pers. V, 1, 13. Truc. V, v. 29: *ad me, delicia?* Fragm. Bacch. p. 488. Gron. v. 10: *Cor meum, spes mea, mel meum, suavitudo, cibus, gaudium.* Epid. V, 1, 8: *Quid agis, mea commoditas?* Poen. I, 3, 12: *mea commoditas, mea salus.* Men. I, 2, 28: *Oh*[16]) *mea commoditas, oh mea opportunitas.* Pers. I, 3, 43: *Cynicum esse gentem oportet parasitum probe.*[17]) Poen. I, 2, 99: *Siquidem tu's mecum futurus pro uva passa pensilis.* Cist. I, 2, 8: *Quiaque adeo me complevi flore Liberi*, h. e. optimo vino, item Cas. III, 5, 16: *nisi haec meraclo Se uspiam percussit flore Libyco.* Curc. I, 2, 4: *Liberi lepos.* Pseud. I, 1, 159: *Atque ipse egreditur penitus periuri caput.*[18]) Rud. IV, 4, 54. sq.: *scelerum caput—periuri*[19]) *caput.* Mil. II, 6, 14: *scelerum caput*, item Pseud. IV, 5, 3. Cas. II, 3, 13: *uxor mea meaque amoenitas, quid agis tu?* Curc. II, 3, 78: *meosne amores?* (h. e. amicam meam). Eodem modo Mil. IV, 8, 67: *ibo hinc intro nunc iam Ad amores meos.* Bacch. IV, 3, 25:

---

12) Sunt choriambi, qui a Plauto saepe creticis interponuntur. vid. Becker. de com. Rom. fab. p. 24.
13) Vulg. *meae dclitiae.* Pall. *m deliciae.* Vide tamen Pareum.
14) Sic recte Bothius emendavit. Vulg. *labellum*, quod tamen iterum legitur v. 172.
15) Sic iterum recte emendatum est a Bothio. Vulg.: *H. col., h. dulciculus caseus, mastigia, Huius cor, h. studium, h. savium, mastigia.*
16) Sic codd. Pall. teste Pareo. Vulg. o.
17) Sic Pall. Vulg. e coniectura Douzae: *Cynica esse e gente.* Vide Gruterum et Gronovium.
18) Sic Δpg. Vulgo et Θpg *periurum.*
19) Codd. Pall. *PeriurI.* Vulg. *periurii.*

Tuam copiam eccam video Chrysalum. Stich. V, 5, 1: *Morem vobis geram, meae deliciae.* Most. I, 1, 14. *Tu urbanus vero scurra, deliciae popli, Rus mihi tu obiectas?* Cas. I, 44. sqq.: *Mi animule, Mea vita —, mea festivitas, — voluptas mea! — meus festus dies, Meus pullus passer, mea columba, mi lepus.* ib. III, 3, 14: *quid agis, mea festivitas?* Asin. III, 3, 29: *num fumus est haec mulier, quam amplexare?* Trin. V, 1, 7: *ei rei fundus pater sit potior*, i. e. auctor. Bacch. IV, 2, 19. sq.:

Illius sum integumentum corporis.
PIST. Nequam esse oportet, quoi tu integumentum inprobu's.

Cas. II, 3, 18: *respice, oh mi lepos!*[20] Men. IV, 3, 1: *Sibi inimicus magis quam aetati tuae*, h. e. tibi. Eodem modo Pseud. I, 1, 109: *In te nunc sunt omnes spes aetati meae*, h. e. mihi. Stich. IV. 2, 38: *o lux oppidi*, quod est blandientis alteri. Capt. IV, 2, 84: *Idem ego sum salus, fortuna, lux, laetitia, gaudium.* Pseud. I, 2, 46. sq.: *ubi isti sunt, quibus vos oculi estis, Quibus vitae, quibus delitiae? quibus savia? mammillae mellitae?*[21] Curc. I, 3, 8: *mel meum.* Bacch. V, 2, 80. Herm. Trin. II, 1, 17. Truc. II, 6, 47. Stich. V, 4, 57. Most. I, 4, 12: *Oh oh ocellus*[22] *es meus; tuus sum alumnus, mel meum.* Cas. IV, 4, 14: *Meum corculum, Melculum,*[23] *verculum.* Curc. I, 1, 11. est *feram—melliculo dulci meo*, h. e. puellae meae Planesio. Curc. IV, 4, 8: *Sed quid agit meum mercimonium apud te?* h. e. puella empta. Fortasse huc pertinet etiam Epid. V, 1, 2, si vera est coniectura Jacobi: *Neque illam adducit, quaest mea praeda.*[24] cf. III, 3, 13. Most. I, 1, 62: *saginam caedite*, h. e. bestiam saginatam. Aliam significationem habet v. *sagina* Mil. III, 2, 31, ubi est pro ipso loco e quo saginari possis: *Post e sagina ego eiciar*[25] *cellaria*, item Most. I, 3, 79. — Cas. IV, 3, 3: *quid agis, mea salus?* Cist. III, 13: *o salute mea salus salubrior!* Stich. IV, 2, 5. sq.: *sperate Pamphilippe! o spes mea! O mea vita! o mea voluptas.* Mil. IV, 8, 20: *O mei oculi, o mi anime.* Asin. III, 3, 24: *Certe enim tu vita's Mihi.* v. 65: *decus popli, thensaurus copiarum, Salus* — ! v. 74: *meus ocellus, mea rosa, — mi anime, mea voluptas.* v. 76. sq.:

Dic igitur me[26] *passerculum, gallinam, coturnicem,*
Agnellum, hoedillum me tuum dic esse vel vitellum.

v. 101: *Mi Libane, ocellus aureus, donum decusque amoris.* v. 103. sq.:

Dic igitur me anaticulam, columbam vel catellum,

---

[20]) Sic V. C. sec. Pareum et Gruterum. Vulg. *o.*

[21]) Sic Bothius. Vulg. habet *estis* post *delitiae* et *mammilla* pro *mammillae.*

[22]) Sic sec. ΔΘp cum Hermanno elem. p. 213. restituendum, qui *Oho Hocellus.* Vulg. *Oh! ocellus.*

[23]) Sic Both. sec. Priscianum. Codd. et vulg. *melliculum.*

[24]) Vulgo cum Langg.: *quae empta ex praeda est.* V. C. sec. Par. *quae est . . . . . . preda.* V. *empta* abest etiam a Pall. et ed. princ.

[25]) Sic Ritschelius. Vulg. *postea sag. ego eiiciar.*

[26]) Vulg. *tuum* addit, quod omisit Bothius.

Hirundinem, *monedulam*, *passerculum*, *putillum.*[27])
v. 138. sq.: LE. *Ego caput argento fui huic hodie reperiundo.*[28])

LI. *Ego pes fui.*

Stich. V, 5, 14. *suavitudo.* Truc. II, 4, 2: *ver vide*, de vernante quasi muliere. Men. II, 2, 55. *Volcani violentia*, h. e. ignis. Cas. III, 2, 6: *Sed eccum egreditur senati columen*, *praesidium popli.* Ep. II, 2, 5: *senati qui columen cluent.* Amph. IV, 2, 9. Mercurius ab Amphitruone appellatur *ulmorum Acheruns.* Asin. III, 2, 3. est: *virtute ulmorum freti*, quod recte Schmiederus per irrisionem dictum putat pro *imbecilla virtute.* Utrobique autem *ulmi* positum est pro *virgis ulmeis*, ergo totum pro parte. Referendi huc sunt etiam omnes ii loci, quibus *Philippus* pro nummo illo aureo Philippeo dictum est; non dico eos locos, ubi vocabulo *Philippus* substantivum additum est, ut adiectivi munere fungatur, (quo pertinet etiam Mil. IV, 2, 70, ubi codd. habent quidem *talentum Philippium*, sed Ritschelius retinet vulgatam ex ed. princ. profectam *Philippum*), sed eos, ubi solum est positum, ubi non est mente addendum *nummus*, sed rex est ipse dictus pro nummo, in quo est eius imago, ut nostrum *Louis.* Sunt autem hi: Poen. III, 1, 55: *trecentos Philippos.* 5, 26. 36. Bacch. IV, 8, 27: *ducenti Philippi.* 38. et 78: *ducentis Philippis.* Caecil. Stat. Fr. Hypobolimaei Chaerestrati: *Nam ista quidem noxa muliebre est mage quam viri*, ad q. l. recte adnotat Daceria, *noxam* dici omne id quod nocet, tam culpam, quam hominem, qui eam in se admisit, quam poenam. Terent. Adelph. III, 4, 72: *ego vero hinc abeo*, *quando is*, *quamobrem huc veneram*, *Rus abit*, h. e. propter quem, ubi notio hominis, quae angustius valet, notione rei, quae latius patet, comprehenditur. Eun. IV, 3, 3: *Scelus postquam ludificatust virginem*, h. e. scelestus. Phorm. III, 2, 42. leno appellatur *sterculinum.* Adelph. II, 1, 34. sq. Heaut. V. 4, 10. *fraus.* Eun. I. 1, 34: *Sed ecca ipsa egreditur*, *nostri fundi calamitas.* Hecyr. I, 2, 48: *Tundendo atque odio denique effecit senex*, ubi *odium*, ut Plaut. Asin. II, 4, 40. idem est atque odiosa importunitas. Nonnulla praeterea exempla apud Terentium vide apud interprett. ad locum Hecyrae, inprimis Brunsium et Magnaeum in indice v. *odium.*

Accedamus ad illos locos, ubi substantivis illis magis generalis significationis plures res aut homines significantur, ita ut significationem habeant collectivam. De Graecis vide Bernh. p. 47. Huc spectat, si regionum et urbium nomina pro incolis ponuntur, ut a Catone ap. Gell. III, 7. (quem locum affert Ruddim. institut. gramm. lat. p. 386.): *Propter eius virtutes omnis Graecia gloriam atque gratiam praecipuam claritudinis inclutissimae decoravere monumentis*, *signis*, *statuis aliisque rebus.* Plaut. Curc. II, 3, 21: *Ita nunc servitium est*, h. e. servi. Most. I, 1, 64: *ego ire in Piraeum volo In vesperum parare piscatum mihi*, h. e. pisces. Eodem modo III, 2, 42: *piscatu probo Colitis vitam.* Aul. II, 2, 29: *Neque illo quisquam est alter hodie ex paupertate parcior*, h. e. ex ordine seu numero pauperum, ut explicat Camerarius, ex pauperibus. Pseud. I, 1, 124: *Pube praesenti*, ubi *pubes* auctore Festo pro *puberibus* dictum est.

[27]) *Dic igitur me anat.* V. C. et excerpta Pall. teste Grutero. *putillum* Camerarius fatetur in cod. suo legi.

[28]) Sic Bothius. Vulg. *Ego caput huic arg. fui hodie reperiundo.*

Jam ad contrarium eius, quem hactenus spectavimus, usum nos convertamus, si pro magis generalis notionis substantivis singularis magis significationis ponuntur (de Graecis vide Bernh. p. **56.** sqq.). Quod aut ita fieri potest, ut rei vel hominis vocabulum symbolice quasi ponatur pro alterius rei vel hominis vocabulo, ad quod qualicunque ratione pertinet, aut ita, ut id substantivum, quod positum est, partem totius rei, quae significatur, et eam quidem, de qua potissimum agitur, designet. Sed hoc alterum tamen tale est, ut, prout rem spectes, haud raro possit etiam ad usum priorem illum a nobis explanatum, quo magis generalis notionis substantiva pro singularis magis usurpantur, referri. Si enim, ut hoc utar, Plaut. Poen. I, **2**, **153.** amica dicitur ab amatore *meus ocellus*, aut ita hoc potest spectari, ut significatio quasi latius patens fingatur ocelli, ad quam amica illa etiam referatur, quae est pulcra ocelli instar ideoque ipsa ocellus appellatur, aut ita, ut pars eius pro tota posita sit, et quoniam ocellus eius amatori prae ceteris maxime placet, ipsa ocellus dicatur. Quamquam autem illa ratio explicandi magis mihi probatur, tamen iis, qui hanc praeferendam ducunt, eos locos Plautinos, quos iam attuli, in quibus ambiguum esse potest, utro modo sint accipiendi, breviter repetam. Spectant huc Poen. I, **2**, **153.** sq. (*ocellus*, *labellum*, *cor*). v. **169.** (*cor*). v. **172.** (*ocellus*, *labellum*, *lingua*). **175.** (*cor*, *labellum*, *lingua*). **182.** (*oculus*). Pers. V, **1**, **13.** (*oculus meus*). Asin. III, **3**, **74.** *ocellus*, *anime*). v. **101.** (*ocellus*). Fragm. Bacch. p. **488**, v. **10.** (*cor*). Pseud. I, **2**, **46.** sq. (*oculi*, *mammillae mellitae*). Most. I, **4**, **12.** (*ocellus*). Cas. IV, **4**, **14.** (*corculum*). Addam alios locos, qui huc pertinent certissime. Ennii annal. l. VII, v. **25**: *Rurescunt* (*rarescunt* al.) *frundes*, h. e. silvae. Id. Med. fr. **11**: *Salvete*, *optima corpora* (corpora liberorum Medeae). Plaut. Epid. I, **1**, **86**: *plane hoc corruptumst caput*, ad q. l. Gron.: „i. e. *ego*. *Caput* pro homine usitatum." Asin. II, **4**, **89**: *Scibam*, *huic te capitulo hodie Facturum satis pro iniuria*. Stich. V, **5**, **10**: *fugit hoc libertas caput*. Poen. III, **3**, **32**: *capiti vostro istuc quidem*. Rud. III, **6**, **47**: *isti capiti dicito*. III, **2**, **11**: *suum — caput*, = se. Men. V, **2**, **88**: *vae capiti tuo*, h. e. tibi. III, **2**, **47.** Mostell. IV, **3**, **10.** Mil. II, **3**, **55.** III, **1**, **131**: *O lepidum caput*. Rud. II, **3**, **44**: *Vae capiti atque aetati tuae*. Pers. II, **2**, **2**: *Ain vero*, *verbereum caput?* Pseud. II, **4**, **33**: *siquidem hoc vivet caput*, h. e. ego. Bacch. III, **5**, **3**: *Nam illud animus meus miratur*, h. e. ego. Rud. III, **1**, **22**: *animus mirat*. Bacch. II, **3**, **3**: *meus formidat animus*. Stich. I, **1**, **20**: *neu tuo animo id fac*, *Quod tibi tuus pater facere minatur*. Curc. V, **2**, **8.** *gemma*, h. e. anulus.

Transeamus ad prius illud quod posueramus, si notio singularis symbolice pro magis generali posita est, quoniam ad eam qualicunque ratione pertinet. Sic nonnullis locis materia dicitur pro rebus, quae ex materia illa conficiuntur, velut Curc. III, v. **40**: *explevi totas ceras quattuor*, h. e. ceratas tabellas, et Amph. I, **1**, **185.** est *cornu* pro laterna cornea. — Rud. III, **6**, **11**: *vicinus Veneris*, h. e. aedi Veneris. Amph. I, **1**, **190.** *Volcanus* dictum est pro igne, item Aul. II, **6**, **10.** Rud. III, **4**, **54.** — Mil. I, **1**, **22**: *gloriarum pleniorem*, h. e. *gloriationum*. Mil. III, **1**, **53**: *Post Ephesi sum natus*, *non sum*[29])

---

[29]) Sic Ritschelius.

in Apulis. Pers. IV, 7, 8: *quo illum sequar? In Persas.* Mil. II, 2, 33. *os* est dictum pro *impudentia*, item Terent. Eun. IV, 7, 36. (*os durum*). Ib. Heaut. II, 1, 2. *a pueris*, h. e. a pueritia. III, 3, 7: *Vel heri in vino, quam immodestus fuisti*, h. e. inter pocula, in convivio.

Jam convertamus nos ad eum usum, quo duo substantiva ad unam notionem efficiendam inter se coniunguntur, quo pertinet primum illud, si ambo eodem casu posita sunt, ita ut alterum altero accuratius explicetur, quae vulgo appositio dicitur, quae aut talis esse potest, ut ambo substantiva in unam notionem coalescant, aut talis, ut attributa rei vel hominis cuiusdam per se spectentur, ita ut et totum per se et eas eius partes atque attributa, de quibus potissimum agitur, animo contemplemur. Huic posteriori appositionis generi, utique ab illo priore, si accuratius rem spectes, diverso, Bernhardy in synt. ling. graec. p. 55. *κατ' ἐξοχὴν syntacticae appositionis* nomen tribuit. Sed prius etiam genus appositionis iterum duplex esse potest, aut simplex, ut notio quaedam generalis singulari, quae est ei cognata, definiatur, aut audacius ficta, ita ut inter se coniungantur substantiva duo diversi plane generis, minime ita inter se cognata, ut alterum sit species alterius eoque comprehendatur, sed tamen item ita comparata, ut altero substantivo singularis species alterius designetur. Simpliciorem illam primum spectemus. Naevius fr. Lycurg. 18: *vos, qui regalis corporis custodias agitatis, ite actutum in frundiferos locos; ingenio arbusta vineta sunt, non obsita*, ad q. l. Klussm. p. 121: „*Arbusta vineta* bene sese habent, cum *vineta* aut appositionis aut adiectivi vice fungatur.“ In lege Numae ap. Gell. IV, 3. (Egger. monum. vet. Lat. reliq. p. 82.) est: *acnum foeminam caidito.* Q. Fabius Pictor in annalibus et Ennius sec. Quintil. I, 6, 10. *lupus femina* dixerunt, ut Cato R. R. c. 134. *porco femina.* Cato R. R. c. 17: *Robus materies, item pro ridica, ubi solstitium fuerit ad brumam, semper tempestiva est.* H. l. *materies* est appositio vocis *robus*, als Nutzholz. Voci *materies ἐκ παραλλήλου* positum est *pro ridica.* Recte explicat Schneiderus: „cum ad materiam seu fabricam, tum ad ridicas. Robus seu quercus fabricae et ridicae materiam praebet.“ Cap. 7, 4. est *orchites oleas*, item cap. 20: *Modiolos in orbis oleaginos ex orchite olea facito. Lapis silex* saepe dicitur a Catone, ut R. R. c. 18. *lapides silices.* C. 20: *digitum pollicem.* Cap. 8: *Ficos mariscas in loco cretoso—serito*, ubi, ut apud Linneum, prius substantivum genus, alterum speciem plantae significat. Plaut. Asin. II, 4, 64: *hominem servom.* Epid. I, 1, 58. III, 1, 7. Stich. I, 2, 1. V, 4, 10. Ib. III, 1, 37: *homines servolos.* Poen. I, 2, 77. *lapidem silicem.* ib. v. 78: *nam tu's lapide silice stultior.* [ut supra Cato R. R. c. 18.] Merc. II, 3, 79: *ancillam viraginem.* Truc. II, 2, 29: *musca—foemina.* Idem Plautus [ap. Philargyr. ad Virg. Ecl. II, 63.] etiam *leo femina* dixit. Curc. V, 2, 47: *ventus turbo.* Trin. I, 2, 94: *homini adulescenti.* Bacch. I, 1, 32: *adulescens homo.* v. 55: *homini adulescentulo.* Epid. III, 1, 12: *Vae tibi, muricide homo.* Terent. Hec. III, 3, 26. *fors fortuna.* Audacius quam haec dicta sunt Plaut. Pers. I, 2, 22: *Qui hic albo rete aliena oppugnant bona*, h. e. albo, tanquam reti, v. Gronov. ad h. l., item Poen. III, 1, 40: *obsecro hercle, operam celocem hanc mihi, ne corbitam date*, quem locum laudat etiam Bernh. in synt. p. 50, adnot. 81.

Sed transeamus ad id genus appositionis, quod supra appositionis syntacticae κατ' ἐξοχὴν nomine declaravimus. Quo spectant haud pauca exempla prisci Catonis. Sic or. pro Rhod. ap. Meyerum orat. Rom. fragm. p. **105**: *mille minus dimidium familiae mulcta esto*, ad q. l. Meyerus p. **107**: „*mille minus*] sic codd. probante Huschkio, qui expl.: *mille* (int. H. S.), dummodo minus id sit quam (*quam* omittitur) dimidium bonorum eius.“ H. l. igitur *minus* est appositio vocis *mille*, sed paulo brevius ideoque obscurius a Catone haec elata sunt. Origin. l. II, fragm. **2**. ed. Bolhuis. p. **26**: *Marsus hostem occidit prius quam Pelignus: propterea Marrucini vocantur, de Marso detorsum nomen.* R. R. c. **93**. (laudatum ab Hartungio de casibus p. **67**): *postea amurcam cum aqua commisceto aequas partes*, ubi v. *aequas partes* appositionem efficiunt v. *amurcam et aquam*, pro quo *cum aqua* a scriptore dictum est. C. **8**: *Sub urbe hortum omne genus, coronamenta omne genus, bulbos megaricos — haec facito uti serantur.* Eodemque modo v. *genus* cum notione singulari ἐκ παραλλήλου positum est in his exemplis: c. **42**: *Quod genus aut ficum aut oleam esse voles, inde librum scalpro eximito.* C. **40**: *postea capito tibi surculum, quod genus inserere voles.* C. **41**: *Terebra vitem quam inseres, pertundito, eo duos surculos vitigineos, quod genus esse voles, insectos obliquos artito ad medullam.* C. **42**: *alterum librum cum gemma de eo fico, quod genus esse voles, eximito* (quod non dictum est pro: *quod genus eius*, sed utraque notio ex aequo posita est). C. **11**: *summa homines XVI*, pro quo cap. **10**. dictum est: *summa hominum XIII*. Sed haec tamen non est proprie appositio, nam verbum substantivum *esse* omissum cogitandum est; sed propterea hoc exemplum h. l. commemoravimus, quod notiones diversae, generalis *summa* et singularis *homines* inter se coniunctae et ex aequo positae sunt. Ennius annal. I, v. **115**: *Septingenti sunt paullo plus vel minus anni.* Hic appositio *plus vel minus* correctionem quasi efficit eius quod dixerat, *septingenti anni*, sed ex aequo tamen ambae notiones positae sunt, quasi idem significarent. In Ennii incertis in addendis fragm. trag. ap. Bothium **4**. est: *Persuasit animo vinum, deus, qui multo est maximus.* Catonis loco supra allato (R. R. c. **8**.) similis est Plauti Most. I, 1, 18: *Cis—paucas tempestates — Augebis ruri numerum, genus ferratile*, ad q. l. Grut.: „*genus ferratile* est explicatio indicatque cui hominum numero sit accessorus Tranio.“ Cas. II, 8, 11: *mastigia, stimulorum loculi*, quod exemplum affert Bernhardy p. **55**, adnot. **94**.

Si duo substantiva ita sunt inter se coniuncta, ut alterum genitivo sit expressum, ad quod genus nunc nos convertimus, iterum duplici modo hoc fieri potest, primum ut illud substantivum sit potissimum maximique momenti, cuius notio maxime premitur, quod genitivo est appositum, aut ita, ut singularis notionis substantivum genitivo sit expressum, generalis alio casu, in qua coniunctione illud minoris momenti est quam alterum, cuius notio magis premitur. In hac altera ratione unum et totum per utrumque substantivum exprimitur, ita ut illud, unde genitivus pendet, in adiectivum possis mutare. De priore ratione apud Graecos egit Bernhardy l. l. p. **51**. sqq., de altera p. **53**. sq. Utrobique autem est genitivus, ut semper, quemadmodum postea videbimus, casus attributivus, utrobique, si grammaticam spectes nec notionem logicam eiusque naturam et ambitum qui inde efficitur,

eodem modo alteri substantivo appositus, nam grammatica non curat nisi eam rationem, qua plura verba inter se coniunguntur, quae si eadem est in duabus consociationibus, eodem utramque refert, non curans logicam, etsi secundum hanc, utramque notionem, quae utrobique efficitur, diversae naturae atque ambitus esse appareat.

Dicamus igitur primum de priore ratione. Plaut. Bacch. II, 3, 74: *Megalobyzi filius*, h. e. Megalobyzus, v. adnot. Gruteri ad h. l. (Bernh. p. 51. affert: *παῖδες Ἑλλήνων, Ἀσκληπιοῦ παῖδες*, negat tamen adnot. 85. numero singulari hoc fieri apud Graecos.) *Megabyzi* sive *Megalobyzi* omnes appellabantur sacerdotes Dianae Ephesiae. Deinde voc. *res* per circumlocutionem Plautus usus est, ut Graeci χρῆμα (Bernh. p. 52), Truc. I, 2, 39: *rem — amoris*, h. e. amorem. Amph. II, 2, 1. *res voluptatum*. (Ruddim. p. 372), h. e. *voluptates*. Truc. II, 1, 4: *ob amoris prandium*. Lamb.: i. e. ob amorem. Weis.: propter impensas, quas ille amoris causa fecit. Poen. I. 2, 1: *Negoti sibi qui volet vim parare*, ubi v. *vim* auget notionem v. *negoti* eique vim addit. Quo pertinent etiam pleonasmi nonnulli (similes apud Graecos vide ap. Bernh. p. 54), ut Stich. I, 2, 69: *Edepol vos lepide tentavi vestrumque ingenium ingeni*, ad q. l. Gruter.: i. e. animum et sensum vestrum, sicut alias *ingenium* pro natura et moribus alicuius rei usurpatur. Cist. II, 1, 5: *Ita nubilam mentem animi habeo*. (*mens* est pars *animi*). Epid. IV, 1, 4: *Paupertas, pavor territat mentem animi*. Similiter Bacch. III, 4, 11: *Sed satin' ego animum mente sincera gero*.

Sed transeamus ad alterum genus. Plaut. Mil. V, 41: *scelus viri Palaestrio*. Pers. II, 2, 10: *Scelus tu pueri 's*. Truc. II, 7, 60: *etiam, scelus viri, minitare?* Curc. V, 2, 16: *scelus viri*. Pers. II, 2, 22: *Paegnium, deliciae pueri*. Ib. V, 2, 67: *frustum pueri*. Menaechm. V, 1, 9: *flagitium hominis*, item III, 2, 24. Cas. II, 1, 8: *flagitium illud hominis*. Aul. IV, 8, 3: *hominum mendicabula*, h. e. *mendicos*. Poen. I, 2, 61: *Monstrum mulieris!*[30]) V, 5, 3: *hallex viri*.

Transeamus ad ultimam rationem, qua substantivum et aliud vocabulum inter se coniuncta in unam notionem coalescunt. Quorum simplicissimum, quod supra posuimus, hoc erat, si substantivum cum simplice negatione est coniunctum. Tale est apud Plautum Asin. IV, 1, 63: *Haec sunt non nugae*. Deinde, si sola praepositio, unde pendet ipsum substantivum, cui est addita, ut Pers. IV, 1, 4: *Sic ei procedunt post principia denique* (h. e. ea, quae sunt post principia). Porro, si substantivum cum praepositione. Tale est apud Naevium Lycurg. fr. 16: *Sine ferro pecua manibus ut ad mortem meant*, ad q. l. Bergkius in mus. Rhen. III, p. 75: „Coniungendum est *manibus sine ferro*, i. e. χερσὶν ἀσιδήροις." Cato R. R. c. 5: *sicilimenta de prato*. C. 17: *semen de cupresso, de pino*. C. 108: *Vini sextarium de eo vino, quod voles experiri*. Dubium est exemplum c. 42: *alterum librum cum gemma de eo fico, quod genus esse voles, eximito*, quoniam praepositio *de* etiam ex verbo *eximito* pendere potest. Ennii Epicharmus p. 150. Egger.: *quique ventus est et nubes et imber postea, Atque ex imbre frigus*,

---

30) Vulg. *En m. m. Θp Et m. Δp* nec *en* nec *et* habet, quod abiiciendum est cum Beckero de com. Rom. fab. p. 7.

ventus post fit. Plaut. Mil. II, 2, 5: *Quemque a milite hoc videritis hominem in nostris tegulis.* Truc. IV, 4, 23. (v. Kampm. de *AB* p. 16.) *Si aufers puerum, a milite omnis spes tum mi animam efflaverit* (h. e., ut recte expl. Schmiederus, nulla supererit). Hic *a mil. omn. spes* unam notionem efficiunt, πᾶσα ἡ ἐλπὶς ἡ οὖσα ἀπὸ τοῦ στρατιώτου. Bacch. II, 2, 19: *Egon' ut, quod ab illo adtigisset nuntius, Non impetratum id advenienti ei redderem?* h. e. *illius nuntius*, v. Scioppium. Merc. I, 2, 28: *resinam ex melle.* II, 1, 33: *atque ego conspicor Navem ex Rhodo.* Weissenb. synt. p. 132. affert Aul. prol. v. 28: *de summo adulescens loco*, Kruegerus gramm. lat. p. 667. e) Rud. IV, 5, 7: *de genere summo adulescenti.* Fortasse huc pertinet etiam Epid. II, 2, 22: *a legione omnes remissi sunt domum Thebis*, si hoc dictum est pro: *omnes, qui ad legionem pertinent.* Ter. Andr. I, 1, 129: *Ea primum ab illo animadvertenda iniuriast.* Eun. I, 2, 85: *cupere te ex Aethiopia Ancillulam.* Kruegerus gramm. p. 667. affert Ad. IV, 2, 2: *a villa mercenarium Vidi*, Wuellnerus de casibus p. 27. Hecyr. V, 1, 29: *si esset alia ex hoc quaestu, haud faceret, scio*, h. e. huius quaestus, v. Ruhnk. dictat. in Terent. l. l. et Schaefferum de usu praep. Ter. p. 10. De posterioribus scriptoribus vid. Weissenb. synt. lat. p. 67, adnot. 2.

Inprimis huc spectant substantiva verbalia, maxime in *io*, ad quae quoniam perventum est, de significatione eorum atque reliquo usu nonnulla praefari libet. Substantiva verbalia in *io* exeuntia, si spectas significationem eorum, medium quasi locum tenent inter reliqua substantiva et verba, a quibus derivata sunt, ideoque exprimunt et actionem, ut verba, et substantiam, ut substantiva, activam substantiam, ut ita dicam. Maxime cognata sunt infinitivo, sed eo tamen differunt ab eo, quod inf. solum fieri posse cogitatam aliquam actionem significat, ex qua actio certa nondum prodiit, sed in ea latet demum adhuc ut in germine, cui substantivum verbale (ut vel nomen eius docet,) substantiam quasi et corpus addit, (cf. Plaut. Trin. I, 2, 2: *venerare, ut nobis haec habitatio Bona fausta—eveniat.* Mil. II, 2, 55: *non placet profecto mihi illaec aedificatio.* v. 98: *Quantum vis prolationumst.* III, 1, 75: *optio.* 3, 67: *Ubi facta erit conlatio nostrarum malitiarum.* IV, 6, 22: *praedicatio tua.* Terent. Adelph. IV, 2, 41: *Sane propius ibis multo et minor hac est erratio*, sec. emendationem Bothii) ita tamen, ut cum verbo *esse* coniunctum modo ad infinitivi, modo ad nominativi gerundii sive gerundivi, ut hi, necessitatem exprimens, notionem propius accedat, modo medium locum teneat inter infinitivi et participii perf. pass. naturam, modo verbo finito simile sit, ut docet Luebkerus de usu inf. Plaut. p. 13. (de discrimine tamen, quod intercedit inter subst. verbale et verbum finitum, vide acute disserentem Haasium ad Reisig. schol. gramm. lat. p. 768, adnot. 593). De qua re vide etiam Ruddim. II, p. 117, adnot. 4. p. 243, adnot. 48. p. 373. Exempla haec sunt. Primum duo quae attulit Luebkerus l. l.: Plaut. Poen. V, 2, 136: *acerba amatiost.* Rud. IV, 5, 14: *Nimis paene inepta atque odiosa eius amatiost.* Pers. IV, 4, 37: *tua merx est, tua indicatiost.* Poen. I, 3, 36: *nunc mihi cautiost.* Pseud. I, 2, 37: *ne quisquam pertundat crumenam cautiost.* Cas. II, 3, 43: *Me sinas curare ancillas, quae meast curatio.* Poen. I, 2, 141: *Cur ego id curem nam?*

qui istaec magis meast[31]) *curatio?* Mil. IV, 6, 64: *vide ne sies illi exspectationi*, h. e. ne exspectandus sis, sive, ut Lindem. expl.: ne te exspectari patiaris. Pers. I, 1, 52: *cave fuas mihi in quaestione*. Cist. II, 3, 49: *Ne in quaestione mihi sit*. Pseud. II, 2, 68. Nonnulla alia eiusmodi exempla vid. ap. Kampm. de *IN* praep. usu Plaut. p. 19. nr. 9. Simplicius Trin. IV, 3, 5: *Si aberis ab eri quaestione*. Ex Terentio affert Ruddim. l. l. (II, 243, adnot. 48.) haec duo exempla: Andr. II, 3, 26: *Puerum autem ne resciscat mi esse ex illa*, *cautiost*, et Adelph. III, 3, 67: *hi* (pisces) *mihi ne conrumpantur*, *cautiost*. Adde Hec. IV, 4, 28. ap. Ruhnk. dictata in Ter. Andr. l. l. p. 48: *Nulla tibi — hic iam consultatiost* et confer Perizon. ad Sanct. Minerv. p. 146. Plaut. Rud. V, 3, 15: *quae haec factiost?* quod exemplum Luebkerus l. l. affert tale, in quo subst. verbalis notio inter infinitivum et part. perf. pass. locum quasi medium teneat. Amph. I, 3, 21: *quid tibi — est — muttitio?* Bacch. IV, 2, 1: *quae istaec est pulsatio?* Capt. IV, 2, 19: *Quae illaec nam minatiost?* ut probabiliter emendavit Ritschelius prolegom. in Trin. p. 328.

Haec substantiva igitur verbalia, ut iam diximus, item saepissime coniunguntur cum praepositione et hanc sequente substantivo, item cum adverbio, item cum solo substantivo eo casu posito, qui sequi solet verba, unde ista substantiva derivantur, perinde quasi ipsa verba posita sint. Cuius triplicis constructionis exempla, quoniam non possunt seiungi, coniunctim afferam. (cf. Donat. ad Terent. Eun. IV, 4, 4. Ruddim. l. l. II, p. 243, adnot. 48. p. 239. 240. adnot. 35. Lindem. ad Plaut. Trin. III, 2, 86. Reisig. l. l. p. 616. sq. ibique Haasius adnot. 511. Wuellner. de casibus p. 106. Hartung. de casibus p. 25. Weissenborn. synt. lat. linguae p. 150. 202. Krueger. gramm. lat. p. 626, adnot. 1. Madvig. Bemerkungen über versch. Puncte des Syst. der lat. Sprachl. p. 41. adnot. Michelsen. de casibus linguae latinae p. 182. adnot. 188. Luebker. l. l. p. 13.). Plaut. Rud. II, 6, 18. sq..

Quid mihi scelesto tibi erat auscultatio?
Quidve hinc abitio? quidve in navem inscensio?

Truc. II, 2, 3: *Quid tibi ad hasce accessiost aedis prope aut pultatiost?* Most I, 1, 6: *Quid tibi, malum, hic ante aedis est clamatio?* Truc. II, 6, 30: *Quid illi ex utero exitiost?* Asin. V, 2, 70: *Quid tibi huc receptio ad test meum virum?* Trin. III, 2, 83: *Quid tibi interpellatio aut in concilium huc accessiost?* Asin. II, 2, 41: *Verbis velitationem fieri compendi volo*, ad q. l. vid. Lamb. Truc. II, 7, 61. sq.:

Quid tibi huc ventiost? Quid tibi hanc aditiost?
Quid tibi hanc notiost, inquam, amicam meam?[32])

Poen. V, 5, 29: *Quid hanc tibi*[33]) *digito tactiost?* Cas. II, 6, 54: *quid tibi istunc tactiost?* 56: *Quid tibi tactio hunc fuit?* Aul. III, 2, 9: *quid tibi—nos tactiost?* Curc. V, 2, 27: *quid tibi istum tactiost?* Aul. IV, 10, 14: *Quid tibi ergo meam me invito tacti-*

---

[31]) Vulg. *Cur ego id curem? namque i. magis tua est curatio.* Sed ΔΘpg *mea'st'*, unde recte Bothius hunc versum, ut supra scriptus est, emendavit.

[32]) Cum Bothio hos duos versus statuo creticos tetrametros.

[33]) Sic Bothius propter hiatum. Vulgo *tibi hanc*.

ost? Epid. II, 2, 113: *Nihil in ea re captiost.* Most. I, 1, 33: *quid tibi, malum, me aut quid ego agam, curatiost?* Amph. I. 3, 21: *Quid tibi hanc curatiost rem, verbero, aut muttitio?* Most. II, 1, 30: *quid illi reditio huc etiam fuit?* Caecil. Stat. fr. 6. Harpazomenes: *Quid tibi aucupatiost Argentum aut de meo amore verbificatio patri?* quem locum affert Donatus ad Terentii Eunuchum IV, 4, 4, ubi est: *Quid huc tibi reditiost? quid vestis mutatio?* Ad analogiam substantivorum verbalium in *io* exeuntium est etiam illud formatum a Plauto Amph. I, 1, 12: *Opulento homini hoc servitus durast,* quem locum afferunt Rudd. l. l. p. 239. et Weissenbornius synt. lat. p. 202., deinde Trin. II, 1, 15: *celatum indagator* (v. Reisig. et Haasius l. l.). Truc. II, 7, 1: *foras gerones.* Pseud. I, 1, 65: *Teneris labellis molles morsiunculae,* qui est dativus commodi. Minus offendit Mil. III, 1, 48: *neque ego oblocutor sum alteri in convivio,* quoniam hic etiam dativus incommodi accipi potest. Non puto huc pertinere Terent. Adelph. IV, 4, 7. sq.: *id anus Mihi indicium fecit,* potius *id indicium* appositionem efficere. Etiam *usus est* cum ablativo coniunctum, ut recte dicit Luebkerus, huc pertinet, sed de hoc tum demum agere malumus, cum ad ablativum perventum erit. Addimus alia substantiva praeter verbalia, quae cum adverbio apposito in unam notionem coalescunt, quae figura vulgo dicitur a grammaticis *Hyphen* (Rudd. II, p. 396. adnot. 10.). Amph. II, 2, 138: *intus pateram proferto foras.* Pers. III, 1, 57: *non tu nunc hominum mores vides?* Huc refero etiam Mil. II, 1, 88. sqq.: *inde—mulieres.* Terent. Andr. I, 2, 4: *Heri semper lenitas verebar quorsum evaderet,* quod secundum Donatum, Dacieriam, Schellerum in gramm. lat. p. 742, Bothium, Schmiederum, Zeunium, Ritterum, Reisigium gramm. lat. p. 392. ibique Haasium adnot. 391. idem est ac perpetua lenitas; Guyetus, Boeclerus, Westerhovius, Ruhnkenius, Perletus, Fikenscherus, Ramshornius in gramm. lat. p. 715. *semper* ad verbum *verebar* referendum esse censent; illud tamen praefero, nam recte Ritterus dicit, si *semper* ad verbum spectare voluisset poeta, tum secundum constantem usum ei dicendum fuisse *semper veritus sum.*

Denique addimus exempla, ubi substantiva, quae non sunt verbalia, cum ablativo alius substantivi ita sunt coniuncta, ut cum eo in unam notionem coalescant. Ablativus autem solus casus est, qui sic usurpatus reperitur, et quidem aut abl. loci, qui originem exprimit, aut abl. qualitatis.

a) *Abl. loci originem exprimens.* Taubm. ad Plaut. Bacch. II, 2, 53. e Catone affert *Syracusis soleae,* quae sunt soleae Syracusanae. Both. ad Naev. fr. 2. Harioli affert Plaut. Merc. V, 2, 99: *Video ibi hospitem Zacyntho.* — ib. v. 102: *Zacyntho ficos fieri non malas,* h. e. ficos Zacynthias. Bacch. II, 2, 53: *Epheso quos hospes debuit nostro seni,* h. e. hospes Ephesius. Poen. V, 2, 36: *Hannonem sese ait Carthagine, Carthaginiensem* cet. Asin. II, 4, 92: *Periphanes, Rhodo mercator.* Kruegerus gramm. lat. p. 665. affert Pseud. I, 3, 36: *Salve multum, serve Athenis pessume.*

b) *Abl. qualitatis.* Cato R. R. c. 8: *Telanas atras pediculo longo.* Plaut. Merc. I, 2, 97: *forma eximia mulierem.* Most. I, 3, 49: *mulierem lepidam et pudico ingenio.* Terent. Heaut. V, 5, 17: *Rufamne illam virginem Caesiam, sparso ore, adunco naso?* Eun. II, 1, 24: *ducit secum una virginem dono huic, papae, Facie honesta.* And.

I, 1, 91: sqq.: *forte unam aspicio adulescentulam Forma* — SO. *Bona fortasse.* SI. *Et voltu, Sosia, Adeo modesto, adeo venusto, ut nil supra.* Schellerus gramm. lat. p. 587. affert: Adelph. III, 3, 88: *homo antiqua virtute ac fide*, And. I, 1, 42. sqq.: *mulier quaedam — egregia forma atque aetate integra*, Eun. I, 2, 52: *Is hanc ubi videt forma honesta virginem.*[34])

[34]) Sic probabiliter Both. emendavit in censura Terentii ed. Klotzianae, quae est in Zeitschr. f. Alt. 1841, p. 1051. Vulgo contra metrum: *Is ubi hanc forma videt honesta virginem.*



Schulnachrichten.

Allgemeine Lehrverfassung für das Schuljahr von Ostern 1849 bis Ostern 1850.

I. Prima.

Ordinarius: der Director.

1. *Sprachen.*

1) *Lateinische*: Cicer. de offic. lib. I, **30** — Ende und II, **1—13.**, sowie Liv. lib. XXII. **3** Stunden, Horat. auserlesene Epoden, carmen saeculare und mehrere Oden des 1. Buchs 2 Stunden, Stilübungen **3** Stunden der Director.

2) *Griechische:* Sophocl. Oedip. Rex, mehrere Bücher der Iliade grösstentheils cursorisch, zuweilen Stilübungen 4 Stunden der Director. Ausserdem im Sommer Plutarch's Cato der Aeltere, im Winter auserlesene Stellen aus den drei ersten Büchern des Herodot 2 Stunden Prof. Dr. Müller.

3) *Hebraeische:* Erklärung von Genes. c. **14. 15. 22. 23. 24.** Jesaias c. **15. 16. 17. 18.**, Repetition der Grammatik und Uebersetzen aus dem Deutschen in das Hebräische 2 Stunden Dr. Holtze.

4) *Deutsche:* Correctur deutscher Aufsätze, Vorträge über epische und dramatische Poesie; Literaturgeschichte; Goethe's Hermann und Dorothea näher besprochen; freie Vorträge, zum Theil über Schiller's Dramen **3** Stunden Conrector Dr. Liebaldt.

5) *Französische:* Faits et journées memorables de la revolution française. Extrait de l'histoire des Girondins par M. de Lamartine pag. **1—135.**, daneben Uebungen im Uebersetzen aus dem Deutschen in das Französische und Repetition der Grammatik 2 Stunden Dr. Schulze.

2. *Wissenschaften.*

1) *Religion:* Erklärung des Evangeliums des Johannes 2 Stunden Pastor Slevogt bis zu Anfange der Hundstagsferien, späterhin Einleitung in das neue Testament 2 Stunden Conrector Dr. Liebaldt.